

videatur. Hoc enim videtur significasse cum dicit: Nonne iudicatis apud vosmetipsos: & facti estis iudices iniquarum cogitationum?

Lex itaque libertatis, lex charitatis est, de qua dicit. Si tamen periculis legem regalem, secundum scripturas: diliges proximum sicut teipsum, bene facitis. Si autem personas accipitis, peccatum operamini: redarguti à lege, tanquam transgressores. Et post illam sententiam ad intelligendum difficultissimam de qua satis dixi, quod dicendum putavi: eandem legem libertatis commemorans: Sic loquamini, inquit, & sic facite: sicut per legem libertatis incipientes iudicari. Et quoniam quid paulo ante dixerit, novit: quoniam in multis offendimus omnes: suggerit dominicam tanquam quotidianam & si levioribus tamen vulneribus medicant. Iudicium enim, inquit, sine misericordia illi, qui non facit misericordiam. Hinc enim & Dominus: dimitte, inquit, & dimitte vobis: date & dabitur vobis. Superexaltat autem misericordia iudicium, non dictum est, vincit misericordia iudicium: non enim est adversa iudicio, sed superexaltat: quia plures per misericordiam colliguntur: sed qui misericordiam praestiterunt: Beati enim misericordes, quia ipsis misererebitur Deus. Et hoc utique iustum est: ut dimitatur eis, quia dimiserunt: & detur eis, quia dederunt. Inest quippe Deo & misericordia iudicanti: & iudicium miseranti: propter quod ei dicitur: Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Nam quisquis velut nimium iustus, iudicium sine misericordia, quasi securus expectat: iram iustissimam provocat: quam timens ille dicit: Ne intres in iudicium cum servo tuo. Unde dicitur populo contumaci: Quid, vultis mecum iudicio contendere? Cum enim rex iustus sederit in throno, quis gloriabitur castum se habere cor? Aut quis gloriabitur mundum se esse à peccato? Quae igitur spes est, nisi superexaltet misericordia iudicium? Sed erga illos qui misericordiam fecerunt veraciter, dicendo: Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus: & sine murmuratione dando: hilarem enim datorem diligit Deus.

Denique sanctus Jacobus jam ex isto loco de misericordiae operibus loquitur: ut quos vehementer illa sententia terruerat, consolatur: cum admonet quomodo etiam quotidiana peccata, sine quibus hic non vivitur, quotidianis remediis expientur, ne homo qui cum in uno offenderit, sit omnium reus: in multis offendendo, quia in multis offendimus omnes, propter magnum aggerem reatus sui, minutatim collectum, ad tribunal tanti iudicis perveniat, & eam quam non fecit misericordiam non inveniat: sed potius dimittendo atque dando mereatur sibi dimitti peccata, reddique promissa.

Multa dixi quibus tibi tedium fortassis inferrem, qui haec tamen quae approbas non expectas dicere, quod ea docere confuevisti. Si quid autem est in eis, quantum ad rem ipsam pertinet: nam quali eloquio explicata sint, non nimis curo. Si quid ergo in eis est, quod eruditionem offendat tuam: quaeso ut rescribendo admoneas, & me corrigere non gravearis. Infelix est enim qui non tantos & tam sanctos studiorum labores, & digne honorat, & de his Domino Deo nostro cuius munere talis es, gratias agit. Unde cum libentius debeam à quolibet discere quod inutiliter ignoro, quam promptius quolibet docere quod scio: quanto iustius abs te hoc charitatis debitum flagito, cuius doctrina nomine & adiutorio Domini tantum in Latina lingua Ecclesiasticae litterae ad iute sunt, quantum nunquam antea potuerunt? Maxime tamen istam sententiam: Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus: si quo alio modo exponi melius posse novit tua dilectio: per Dominum obsecro, ut id nobiscum communicare digneris.

AUGUSTINUS AD HIERONYMUM de ratione animæ.

D EUM nostrum, qui nos vocavit in suum regnum & gloriam, & rogavi & rogo, ut hoc quod ad te scribo sancte frater Hieronyme, consulens te de his quae nescio, fructuosum esse nobis velit. Quamquam enim te multo quam ego sum aetate maiorem: tamen etiam ipse jam senex consulo: sed ad discendum quod opus est, nulla mihi aetas sera videri potest: quia & si senes magis decet docere quam discere, magis tamen discere quam quid doceant ignorare.

Nihil equidem molestius fero in omnibus angustiis meis, quas patior in difficillimis quaestionibus, quam in tam longinqua tuae charitatis absentia: ut vix possim meas dare, vel recipere literas tuas, per intervalla, non diem, non mensium, sed aliquot annorum: cum si fieri posset quotidie praesentem te habere vellem: cum quo loquerer quocumque vellem. Nec ideo tamen non debui facere quod potui: si non potui totum quod volui.

Ecce venit ad me religiosus juvenis, Catholica pace frater, aetate filius, honore presbyter, noster Orosius, vix ingenio, paratus eloquio, flagrans studio, utile vas in domo Domini esse desiderans: ad refellendas falsas perniciosasque doctrinas, quae animas Hispanorum multo infelicius, quam corpora barbaricus gladius, trucidarunt. Nam inde ad nos usque ab Oceani litore properavit, fama excitus, quod à me posset de his quae scire vellet, quicquid vellet audire. Neque nullum cepit adventus sui fructum: Primum ne de me multum famae crederet: Deinde docui hominem quod potui: quod autem non potui, unde discere posset admonui: atque ut ad te iret hortatus sum. Qua in re consilium vel praecipuum meum cum libenter & obedienter acciperet, rogavi eum ut abs te veniens per nos ad propria remearet. Quam ejus sollicitationem tenens, occasionem mihi credidi à Domino esse concessam: qua tibi scriberem de his quae per te scire cupio. Quarebam enim quem ad te mitterem, nec mihi facile occurrebat idoneus & fide agendi, & alacritate obediendi, & exercitatione peregrinandi.

Ubi ergo istum juvenem expertus sum, eum ipsum esse qualem à Domino petebam, dubitare non potui. Accipe igitur quae mihi peto aperiri, ac disserere non gravearis. Quaestio de anima multos movet, in quibus & me esse confiteor. Nam quid de anima firmissimè teneam, non tacebo. Deinde subjungam quid mihi adhuc expediri velim. Anima hominis immortalis est, secundum quemdam modum suum. Non enim omni modo sicut Deus: de quo dictum est: quia solus habet immortalitatem. Nam de animae mortibus, sancta scriptura multa commemorat. Unde illud est: Sine mortuos sepelire mortuos suos. Sed quod ita moritur alienata à vita Dei: ut tamen in natura sua vivere non omnino desinat: ita mortalis ex aliqua causa invenitur: ut etiam immortalis non sine ratione dicatur. Non est pars Dei anima. Si enim hoc esset, omnimodo incommutabilis atque incorruptibilis esset. Quod si esset, nec deficeret in deterius, nec proficeret in melius: nec aliquid in semetipsa vel inciperet habere, quod non habebat: vel desineret habere, quod habebat: quantum ad ejus ipsius affectiones pertinet. Quam vero aliter se habeat, non opus est extrinsecus testimonio: quisquis seipsum advertit, agnoscat.

Frustra autem dicitur ab eis, qui animam Dei partem esse volunt: hanc ejus labem ac turpitudinem, quam videmus in nequissimis hominibus: hanc denique infirmitatem & aegritudinem, quam sentimus in omnibus hominibus: non ex ipsa illi esse: sed ex corpore. Quid interest unde aegrotet: quae si esset incommutabilis aliquo modo, undelibet aegrotare non posset. Nam quod verè incommutabile & incorruptibile est, nullius rei accessu commutari vel corrumpi potest. Alioquin non Achillea tantum, sicut fabulae ferunt, sed omnis caro esset invulnerabilis, si nullus ei casus accidisset. Non est itaque natura incommutabilis: quae aliquo modo, aliqua causa, aliqua parte mutabilis est. Deum autem nefas est nisi verè summèque incommutabilem credere.

Non est igitur anima pars Dei. Incorporae quoque esse animam & si difficile tardioribus persuaderi potest: mihi tamen persuasum esse fateor. Sed ne verbi controversiam vel superfluum faciam, vel meritò patiar: quoniam cum de re constat, non est opus certare de nomine: si corpus est omnis substantia, vel essentia, vel si quid aptius nuncupatur id quod aliquo modo est in seipso, corpus est anima. Item si eam solam incorporae placet appellare naturam, quae summè incommutabilis & ubique tota est: corpus est anima, quoniam tale aliquid ipsa non est.

Porro si corpus non est, nisi quod per loci spatium aliqua longitudine, latitudine, & altitudine ita sistitur vel movetur, ut maiore sui parte maiorem locum occupet, & brevior brevior: minisque sit in parte quam in toto: non est corpus anima. Per totum quippe corpus, quod animat non locali diffusionem, sed quadam vitali intentione porrigitur. Nam per omnes ejus particulas tota simul adest: nec minor in mi-

noribus est, in majoribus major: sed alicubi intensius, alicubi remissius, & in omnibus tota, & in singulis tota est. Neque enim aliter quod in corpore etiam non toto sentitur, tamen tota sentitur. Nam cum exiguo puncto in carne viva aliquid tangitur: quamvis locus ille non solum totius corporis non sit, sed vix in corpore videatur, animam tamen totam non later. Neque id quod sentitur per corporis cuncta discurre, sed ibi tantum sentitur, ubi fit.

Unde ergo ad totam mox pervenit, quod non in tota fit, nisi quia & ibi tota est ubi fit. Nec ut tota ibi sit cetera deserit. Vivunt enim & illa ea praesente, ubi nihil tale factum est. Quod si fieret, & utrumque simul fieret, simul utrumque totam pariter non lateret. Proinde & in omnibus simul, & in singulis particulis corporis sui, tota simul esse non posset: si per illas ita diffunderetur, ut videmus corpora diffusa per spatia locorum, minoribus suis partibus minora occupare, & amplioribus ampliora. Quapropter si corpus anima esse dicenda est: non est certè corpus quale terrenum est: nec quale humidum, aut aëreum, aut aëreum. Omnia quippe talia majora sunt in majoribus locis, & minora in minoribus: & nihil eorum in aliqua sui parte totum adest, sed ut sunt partes locorum, ita occupantur partibus corporum. Unde intelligitur anima sive corpus sive incorporea dicenda sit, propriam quamdam habere naturam, omnibus his mundanae molis elementis excellentiore substantia creatam: quae veraciter non possit in aliqua phantasia corporalium imaginum, quas per carnis sensus percipimus cogitari: sed mente intelligi, vique sentiri.

Neque haec perinde loquor, ut te quae tibi nota sunt doceam, sed ut aperiatur quid firmissime de anima sentiam: de me quisquam cum ad ea venero quae requiro: nihil de anima, vel scientia, vel fide tenere arbitretur. Certus etiam sum animam nulla Dei culpa, nulla Dei necessitate vel sua: sed propria voluntate in peccatum esse collapsam, nec liberari posse de corpore mortis hujus, vel suae voluntatis virtute tantum sibi ad hoc sufficere, sed ut ipsius corporis morte: sed gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Nec omnino esse animam ullam in genere humano, cui non sit necessarius ad liberationem, Dei & hominum mediator homo Jesus Christus. Quaecumque autem sine gratia mediatoris & sacramenti ejus in qualibet corporis aetate de corpore exierit: & in poenam futuram & ultimo iudicio recepturam corpus ad poenam.

Si autem post generationem humanam, quae facta est ex Adam, regeneretur in Christo, ad ejus pertinens societatem, & requiem post mortem corporis habituram, & corpus ad gloriam recepturam. Haec sunt quae de anima firmissimè teneo. Nunc accipe obsecro quid requiram, & noli me spernere, si te non spernari pro nobis dignatus est sperni. Quaro ubi anima contraxerit reatum, quo trahatur in condemnationem: etiam infantis morte preventi, si ei per sacramentum quo etiam parvuli baptizantur, Christi gratia non subvenerit. Non enim es ex illis, qui modo nova quadam garrire ceperunt, dicentes: nullum reatum ex Adam esse tractum, qui per baptismum in infante solvatur. Quod te sapere si scirem, immo nisi te id non sapere scirem, nequaquam haec abs te quaererem, aut quaerendum putarem.

Sed quia tenemus de hac re sententiam tuam, concinentem catholicae fundatissimaeque fidei: quia & Joviniani vaniloquia redarguens adhibuisti testimonium ex libro Job: Nemo mundus in conspectu tuo, nec infans cuius est diei unius vita super terram. Deinde adjunxisti, tenemurque rei in similitudinem praevariationis Aedae.

Et liber tuus in Jonam Prophetam satis haec insigniter dilucidè declarat: tibi jejunare parvulos, propter ipsum originale peccatum merito coactos esse dixisti: non inconvenienter abs te quaro hunc reatum anima ubi contraxerit, unde oporteat eam etiam in illa aetate per sacramentum Christianae gratiae liberari. Ego quidem ante aliquot annos, cum libros quosdam scriberem de libero arbitrio: qui in multorum manus exierunt, & habentur à plurimis: quatuor opiniones de animae incarnatione: utrum ex illa una quae primo homini data est, ceterae propagentur. An singulis quibusque novae etiam modo fiant. An alicubi jam existentes, vel mittantur divinitus, vel sponte labantur in corpora: ita putavi esse tractandas: ut quaelibet earum vera esset, non impediret intentionem meam, qua tunc adversus eos quantis poteram viribus agebam: qui naturam mali, suo principio praeditam,

Tom. V.

adversus Deum conantur inducere, id est, contra Manichaeos.

Nam de Priscillianistis adhuc nihil audieram, qui non multum ab his dissimiles blasphemias fabulantur. Ideo quantam opinionem non addidi, quam in tua Epistola inter ceteras commemorasti: ne aliquam praeterires, ubi de hac quaestione interroganti rescripsisti religiosae memoriae viro, nobisque in Christi charitate gratissimo Marcellino, quod anima non sit pars Dei. Primum, quia non de incarnatione ejus, sed de natura quaeritur, cum hoc quaeritur.

Deinde quia hoc sentiunt illi, contra quos agebam: & id maxime agebam, ut creatoris inculpabilem inviolabilemque naturam à creaturae vitiiis & labe fecernerem: cum illi à substantia mali, cui proprium principium principisque tribuunt: ipsam boni Dei substantiam ex parte qua capta est corruptam & oppressam, & ad peccandi necessitatem perductam esse contendunt.

Hoc itaque excepto haereticae opinionis errore: ex quatuor reliquis opinionibus, quanam sit eligenda scire desidero. Quaecumque enim eligenda est, ab ut impugnet hanc fidem de qua certi sumus: omni animae, etiam parvuli infantis, necessariam esse liberationem ex obligatione peccati: eamque nullam esse, nisi per Jesum Christum & hunc crucifixum. Proinde ne longum faciamus: hoc certe sentis: quod singulas animas singulis nascentibus, etiam modo Deus faciat. Cui sententiae ne objiciatur, quod omnes creaturas sexto die consummaverit Deus, & septimo requieverit: adhibes testimonium ex Evangelio: Pater meus usque nunc operatur: & ego operor. Sic enim ad Marcellinum scripsisti, in qua Epistola etiam mei commemorationem benevolentissime facere dignatus es: quod hic me haberet in Africa, qui ei ipsam facilius explicare possem sententiam. Quod si potuissem, non ille hoc abs te tam longe posito inquireret: si tamen id tibi ex Africa scripsit. Nam quando scripsit nescio: tantum scio quod de hoc bene cognoverit cunctationem meam, unde me inconsulto facere voluit. Quamquam si consulere etiam, magis hortarer & gratias agerem, quod nobis conferre omnibus posset: nisi tu breviter rescribere quam respondere maluisses: credo ne superfluo laborares ubi ego essem quem putabas id optime scire, quod ille quaesierat.

Ecce volo ut illa sententia etiam mea sit: sed nondum esse confirmo. Misisti ad me discipulos, ut ea doceam, quae nondum ipse didici. Doce ergo quod doceam, nam ut doceam multi à me flagitant: eisque me sicut alia multa, & hoc ignorare confiteor. Et fortasse quamvis in os meum verecundentur, tamen apud se dicunt: Tu es magister in Israel, & haec ignoras? Quod quidem Dominus ei dixit, qui erat unus illorum, quos delectabat vocari Rabbi. Unde etiam ad verum magistrum nocte venerat: quia fortassis erubescere discere, qui docere consueverat: me autem potius magistrum audire, quam velut magistrum delectat audiri. Recolo enim quid dixerit eis, quos praeceteris elegit: Vos autem, inquit, nolite vocari ab hominibus Rabbi: unus enim est magister vester Christus Jesus. Nec alius docuit Moysen per Jetto: nec alius Cornelium etiam per priorem Petrum: nec alius Petrum etiam per posteriorem Paulum. A quocumque enim verum dicitur: illo donante dicitur, qui est ipsa veritas.

Quod si ideo adhuc ista nescimus, & ea neque orando, neque legendo, neque cogitando, & ratiocinando invenire potuimus: ut probemus non solum indoctos quanta charitate doceamus, verum à doctis etiam quanta humilitate discamus. Doce ergo quaeso quod doceam: doce quod teneam: & dic mihi: si animae sigillatim in singulis nascentibus sunt, ubi in parvulis peccant: ut indigent in sacramento Christi remissione peccati, peccantes in Adam, ex quo caro est propagata peccati: aut si non peccant, quae iustitia creatoris ita peccato obligantur alieno, cum exinde propagatis membris mortalibus inferuntur: ut eas, nisi per Ecclesiam subventum fuerit, damnatio consequatur: cum in earum potestate non sit ut eis possit baptismi gratia subveniri.

Tot igitur animarum millia, quae in mortibus parvulorum sine indulgentia Christiani sacramenti de corporibus exeunt, qua aequitate damnantur: si novae create nullo suo praecedente peccato, sed voluntate creatoris singulae singulis nascentibus adhaerent: quibus eas animandis ille creavit & dedit, qui utique noverat quod unaquaeque earum nulla sua culpa sine baptismo Christi de corpore fuerat exitura? Quoniam igitur, neque de Deo possumus dicere, quod vel cogat

V ij